

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2353

Auteur(s) : Rouen (official)

Bénéficiaire(s) : Rouen, Saint-Amand (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1249, 5 janvier

Action juridique : notification

Langue du texte : latin

Analyse

Accord entre Richard de Pontoise, juif converti, et l'abbaye de Saint-Amand, au sujet de l'obligation imposée aux religieuses par mandement apostolique de pourvoir à son entretien et à celui de sa femme et de sa fille, leurs vies durant.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Le Cacheux Marie-Josèphe, *Histoire de l'Abbaye Saint-Amand de Rouen, des origines à la fin du XVIe siècle*, Caen, Société d'impression de Basse-Normandie (BSAN ; 44), 1937, n° VII, p. 259-261.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris... officialis Rothomagensis, salutem in Domino. Noveritis quod, cum Ricardus de Pontisara de judaismo ad fidem catholicam conversus peteret, pro se et pro Auda uxore sua et pro Johanna filia eorumdem, quod nos... officialis Rothomagensis, gerens vices reverendi patris . O., Dei gratia Rothomagensis archiepiscopi, super provisione eorumdem Ricardi, Aude et Johanne, auctoritate apostolica dicto archiepiscopo commissa, compelleremus religiosas mulieres... abbatissam et conventum Sancti Amandi Rothomagensis quod de bonis monasterii earumdem dictis converso, uxori ejus et filie in vite necessariis juxta formam mandati apostolici, quamdiu viverent iidem conversus, uxor et filia, competenter providerent ; tandem dictus Ricardus pro se omni juri, quod habebat contra dictas moniales ratione dicti mandati apostolici, renunciavit expresse pro centum solidis turonensium, de quibus tenuit se pro pagato coram nobis, renuncians exceptioni pecunie non numerate. Super vero dicto negocio, in quantum tangebatur dictas Audam et Johannam, inter dictum Ricardum, procuratorem dictarum Aude et Johanne, habentem specialem potestatem componendi ex una parte, et Vedastum clericum, procuratorem dictarum monialium, habentem similiter specialem potestatem componendi pro ipsis in dicto negocio ex altera, compositum est in hunc modum, videlicet quod dicte moniales tenentur solvere predictis Aude et Johanne pro bono pacis quadraginta solidos turonensium ad Natale Domini proximo venturum et quolibet anno proximo sequenti quoad vixerint viginti solidos turonensium in Nativitate beati Johannis Baptiste et viginti solidos turonensium in Natali Domini, et, una decedente, dicte moniales cessabunt omnino a medietate predictae pensionis. Item tenentur providere procuratori dictarum mulierum in alimentis competentibus, quamdiu moram fecerit Rothomagi pro dicta pecunia habenda post aliquem terminorum predictorum. Et dictus Ricardus per dictam compositionem renuntiavit expresse pro dictis Auda et Johanna instancie judicii cepti coram nobis contra moniales predictas et toti negotio supradicto. Et hanc compositionem predictam, prout per omnes et singulos articulos superius est expressa, predicti procuratores in nostra presencia constituti, fide corporaliter prestita, spontanea voluntate promiserunt coram nobis se inviolabiliter observaturos nomine partium predictorum. In cujus rei testimonium sigillum curie Rothomagensis

ad eorum instanciam, salvo jure cujuslibet, presenti scripto duximus apponendum. Datum anno Domini M° CC°
quadragésimo octavo, die martis ante Ephiþhaniam Domini, Valet.